UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

**Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>**

**Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.**

Antonii Contii chronici canones

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1733

Visual Library

# ANTONII CONTII
## CHRONICI CANONES.

CERTISSIMA *demonſtratio primæ hominum ætatis & temporis quod fluxit à mundi initio vſque ad totius orbis terræ diluuium, ex 5. cap. Geneſeos, iuxta editionem* LXX. *& Hebraicam.*

### PRIMA ÆTAS.

| | ANNI MVNDI. | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *Secūdum 70. interpret.* | *Secūdum Hebr. editionem.* | *Secūdum edit. 70. quam ſic emēdari debere Auguſt. & Hier. aiunt.* | *Secūdum editionē Græcam 70. quæ hodie ab Aldo, & Cōplut. & Germanis impreſſa circumfertur.* |
| ADAM protoplaſtus & primogenitus omnium hominum, cunctarū artium & literarum & diſciplinarum primus, & ſummus inuentor. omnium animalium, arborum, herbarum, & naturarum, cuiuſque primus nomenclator, & optimus nominum impoſitor, à cuius perfectione, naturali temperamento, intellectu, & cæteris animi dotibus multum aberrauit omnis poſteritas, primum temporis numerum ex annorum vitæ ſuæ computatione, velut quidam Monarcha & conſul edidit, nempe totis 230. annis, ſecundū LXX. vel 130. ſecundum Hebr. quibus nondum ſucceſſorem ediderat. nam his annis completis edidit Seth ſucceſſorem & filium, qui ſimul ac natus eſt, cœpit quaſi faſtis mox adſcriptus ex perſona ſua temporis numerum continuare. | 230 | 130 | | |
| Seth igitur ab anno mundi 230. vel 130. quo in lucem editus eſt, vſque ad annum 205. vel vel 105. quo filium & ſucceſſorem Enos ſibi genuit, eoſdem faſtos occupauit, id eſt vſque ad annum mundi | 435 | 235 | | |
| Enos ſimiliter à die ſuæ natiuitatis vſque ad annum 190. vel 90. ſuæ ætatis faſtos occupauit, id eſt vſque ad annum mundi | 435 | 325 | | |
| Cainam etiam à prima ſua natiuitate vſque ad annum ſuæ ætatis 170. vel 70. quo filium Malaleel ſucceſſorem reliquit, faſtos impleuit, id eſt vſque ad annum mundi | 705 | 395 | | |
| Malaleel vſque ad annum ætatis ſuæ 165. vel 65. quo Iared filium ſucceſſorem dedit, faſtos & tempora ſignauit, id eſt vſque ad annum mundi | 960 | 460 | | |
| Iared vſque ad annum ſuæ ætatis 162. ſecundum vtranq; editionem hîc conſentientem, quo anno filium Enoch ſucceſſorem edidit, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 1122 | 622 | | |
| Enoch à ſua natiuitate vſque ad annum ætatis ſuæ 165. vel 65. quo Matuſalem filium & ſucceſſorem dedit, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 1287 | 687 | | |
| Matuſala à ſua natiuitate vſque ad annum ſuæ ætatis 167. ſecundum 70. interpr. (qui auctore Auguſt. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 10. & 11 minus 20. annis habent quàm Hebræi) vel ſecundum Hebr. anno ætatis ſuæ 187. quo Lamech filium & ſucceſſorem reliquit, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 1454 | 874 | 1474 | 1474 |
| * Sed omnes hodie Græcæ edition. ſeptuaginta interpretum ab illo numero aberrant, quem ijs adſcribit Auguſtinus, & Aldina editio habet 187. quomodo & Hebraica, nec negat Auguſti. ſic debere emendari editionem ſeptuaginta. Hieronymus verò diſertè aſtruit mēdoſam eſſe hoc loco eorum editionem, & pro 167. reponendum 187. vt eſt in Samaritanis & Hebræis libris. ſicque legit Nicephorus in Chronicis nuper typis excuſis: & ſic quoque Ioſephus legit: cùm in alijs ſequatur editionem ſeptuaginta interpretum, non Hebraicam. & ſic videtur emendandum, vt tollatur illa obiectio, qua videretur alioqui Matuſala vixiſſe poſt diluuium xiiij. annis. | | | | |
| Lamech à ſua natiuitate vſque ad annum ſuæ ætatis 188. ſecundum ſeptuaginta interpret. vel 182. ſecundum Hebraicam editionem, quo filium Noë ſucceſſorem reliquit, eadem tempora ſignauit. Sed eius quam diximus abſurditatis tollendæ cauſa putant Auguſtinus & Hieronymus editionem ſeptuaginta interpretum emendandam ſecundum Hebraicam, vt pro 188. legatur apud eos 182. vt & in Hebr. ſed & ſi nihil hîc emendetur, vt ſanè nihil à poſteris emendatum eſt, nihil abſurdi ſequetur. ſic enim fiet, vt ſex ante diluuium annis mortuus fuerit Matuſalà. | 1642 | 1056 | 1656 | 1662 |
| Noë à ſua natiuitate vſque ad annum ætatis ſuæ 500. ſecundum vtranque editionem, quo genuit Iaphet & Cham & Sem, eadem tempora ſignauit, id eſt, ab annis mundi ſupra ſcriptis, vſque ad annos mundi adſcriptos. Sed veriſimile eſt Iaphet maiorem natu filiorum Noë illo anno ætatis Noë 500. natum fuiſſe. Cham verò anno ſequente. | 2142 | 1556 | 2156 | 2162 |
| Idem Noë à natiuitate primi filiorum (puta Iaphet) vſque ad natiuitatem vltimi filiorum, id eſt Sem, per biennium eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 2144 | 1558 | 2158 | 2164 |
| *Id ex eo probatur, quòd Sem biennio demum poſt diluuium dicitur eſſe 100. anno. ergo natus eſt 98. ante diluuium.* | | | | |
| Idem Noë à natiuitate ſui filij Sem per alios 98. annos, id eſt, vſque ad diluuium, cùm filijs ſuis eadem tempora ſignauit, id eſt vſque ad annum mundi | 2242 | 1656 | 2256 | 2262 |
| Diluuium, ſeu diluuio (vt ait Cenſorinus.) *Finis primæ hominum ætatis.* | | | | |
| **SECVNDA ÆTAS** | | | | |
| *Certiſſima demonſtratio ſecundæ hominum ætatis & temporis quod fluxit à diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ, ex cap. xj. Gen. & iij. cap. Lucæ Euangeliſtæ.* | | | | |
| NOE, Sem, Cham, Iaphet, ijdem qui fuerant primæ ætatis terminatores, ijdem ſecundæ principes & inchoatores fuerunt. Nam à diluuio biennium ad hæc tempora ſignauerunt, quo biennio poſt diluuium, Sem genuit Arphaxat ſucceſſorem, id eſt, vſque ad annum mundi | 2244 | 1658 | 2258 | 2264 |
| Arphaxat à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuę 135. vel ſecundum Hebr. 35. eadem tempora ſignauit vſque ad annum mundi 2379. quo genuit Cainam ſecundum 70. & Lucam Euangeliſtam, vel quo genuit Sala, ſecundum Hebraicam editionem. | 2379 | 1693. | 3393 | 2399 |

Cainam

† Secundum edit. Orig. q obelo cõfodit hũc annũ ex 70. inter. quem ſequitur Euſeb. & lat. Ec.

* aliàs, 35.

| | ANNI MVNDI. | | | |
|---|---|---|---|---|
| | Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Græc. edit. |
| Cainam à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 130. ſecundum ſeptuaginta. (nam in Hebraica editione omittitur) quo anno genuit filium ſucceſſorem Sala, eadem tempora ſignauit. | 2509 | * | † | 2529 |
| Sala à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 130. ſecundum 70. interpr. vel 30. ſecundum Hebr. quo genuit Heber filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 2639 | 1723 | 2509 | 2659 |
| Heber à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 134. ſecundum ſeptuaginta, vel 34. ſecundum Hebr. quo genuit filium & ſucceſſorem ſuum Phaleg, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 2773 | 1757 | 2643 | 2793 |
| Suidas &c. dicunt turrim Babylonicam ædificatam eſſe 525. anno poſt diluuium, qui eſt annus ætatis Heber 128. ſic & Iſidorus ait, ſub hoc Heber ædificari cœptam turrim, ſed ex ſacris literis certò definiri non poteſt, quo anno cœperit ædificari. | | | | |
| Phaleg à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 130. vel ſecundum Hebræos 30. quo anno genuit Ragau filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum orbis | 2903 | 1787 | 2773 | 2923 |
| Refert ſcriptura huius Phaleg tempore diuiſam fuiſſe terram. nec annum addit. certum eſt hanc diuiſionem mox factam poſt linguarum in Babylonis ædificatione confuſionem, quia eadem ſcriptura refert eos priuſquam ab inuicem diſcederent, id eſt, terras partirentur, conſilium cepiſſe turris ædificandæ. | | | | |
| Ragau à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 132. vel ſecundum Hebræos * 32. quo anno genuit Seruch filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 3036 | 1819 | 2905 | 3056 |
| Seruch à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 130. vel ſecundum Hebræos 30. quo anno genuit Nachor filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 3165 | 1849 | 3035 | 3185 |
| Suidas ſcribit ſub hoc Seruch ortam idolorum inſaniam vſque ad Tharam patrem Abrahæ defluxiſſe, cuius nomine ipſe Thara à filio Abrahamo obiurgatus eſt. | | | | |
| Nachor à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 79. ſecundum ſeptuaginta interpret. vel anno 29. ſecundum Hebr. quo anno genuit Tharam filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignat anno mundi | 3244 | 1878 | 3114 | 3264 |
| Thara terminator ſecundæ ætatis à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 70. ſecundum vtranque editionem, quo anno genuit filium & ſucceſſorem Abrahamum, futurum tertiæ ætatis principem, eadem tempora ſignauit vſque ad annum mundi | 3314 | 1948 | 3184 | 3334 |

Oroſius lib. 1. cap. 1. ſequitur hanc computationem, vt & Euſeb. & Epiphan.

*Finis ſecundæ ætatis, quæ eſt 1072. annorum ſecundum meram editionem ſeptuaginta interpretum, (quam ſequitur Auguſtinus, Iſidorus, &c.) & ſecundum editionem Origenis 942. annorum, & ſecundum editionem Hebraicam 292. annorum. Beda hanc diuerſitatem non ſatis apertè exprimit, ac multò minus conciliat.*

## TERTIA ÆTAS.

*Certiſſima demonſtratio tertiæ hominum ætatis & temporis quod fluxit à natiuitate Abrahæ vſque ad annum primum regni Dauidis, partim ex Geneſi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, partim ex libro Ieſu Naue.*

*Semiramis eodem tempore regnat apud Aſſyrios, quo Abraham apud Hebræos. Porphyrius eũ facit Moyſe poſteriorẽ, quæ Inachum præceſſit ãnis 150. qui tamẽ videtur ſecutus eſſe Tertullianum apologet. c. 19. vt eſt in manuſcript. nam impreſſi emẽdati ſunt ad cano. Euſebian.*

*Abraham natus circiter cẽtum ann. videt horrendũ incendium Sodomorum &c. vrbium Gene. 19.*

*Inachum *his temporibus fuiſſe ait Euſebius in præfatione Chronic.*

| | Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Græc. edit. |
|---|---|---|---|---|
| ABRAM primus in patriarchis, in quem ſanctificatus eſt populus Iſraëliticus antequam à Deo reijceretur, pater circuncisionis, & pater omnium credentium per præputium, non ijs tantùm qui ſunt ex circunciſione, ſed & ijs qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in eius præputio, qui & ſacras literas inuenit, & linguam Hebraicam artificioſè diſpoſuit (auctore Suida) ex qua cæteræ manarunt, princeps & inchoator tertię ætatis, à prima ſua natiuitate vſque ad annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum quintum, ſecundum omnes editiones Geneſeos, cap. 12. quo anno Deus cum Abraham teſtamentum & repromiſſionem fecit, & verborum ſponſionem & repromiſſionem interpoſuit, fore vt in eo benedicerentur omnes cognationes terræ, prima tertiæ ætatis tempora ſignauit, vſque ad annum mundi | 3388 | 2023 | 3259 | |

### VETVS TESTAMENTVM.

Hoc vetus teſtamentum ſeu repromiſſio, magnam huius ætatis partem ſignat, nempe à primo huius repromiſſionis anno, vſque ad quadringenteſimum triceſimum ab hac repromiſſione annum, quo anno Iſraël exiuit de Ægypto, & lata eſt lex in monte Sina, vt dicitur Exod. cap. 12. & apud Paulum in epiſtola ad Galatas cap. 4. id eſt, vſque ad annum mundi 3819. ſecundum ſeptuaginta, vel 2453. ſecundum Hebræos, vel 3689. ſecundum Origenis editionem. Verùm & ex alijs ſcripturæ locis totum hoc tempus minutius & ſpecialius diſſecabimus, ita tamen vt in eorum perfectam demonſtrationem, & hunc ſummum calculum aduocemus.

| | Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Græc. edit. |
|---|---|---|---|---|
| Idem igitur Abraham ab anno ætatis ſuæ 75. quo repromiſſionem accepit, vſque ad annum ætatis ſuæ centeſimum, ſecundum omnes editiones, quo anno filium & ſucceſſorem Iſaac genuit, eadem hæc tempora ſignauit per ſequentes vigintiquinque annos, id eſt, vſque ad annum mundi | 3414 | 2048 | 3284 | |
| Iſaac ab anno ætatis ſuæ primo, vſque ad annum ætatis ſuæ ſexageſimum, quo genuit Iacob filium & ſucceſſorem, ſecundum omnes editiones Geneſ. cap. 25. eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 3474 | 2108 | 3344 | |
| Iacob à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ nonageſimum primum, quo genuit Ioſeph filium & ſucceſſorem, eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 3565 | 2199 | 3435 | |
| * Quòd 91. ſuæ ætatis anno genuerit Ioſeph, id non diſertè affirmatur in ſcriptura, ſed per neceſſariam illationem, ac variorum locorum comparationem elicitur, hoc modo: Ioſeph cùm explicat ſomnium Pharaoni, eſt xxx. annorum, Geneſ. 41. Idem cùm patrem per fratres accerſit, eſt annorum 39. Geneſ. 45. ex eo quod illic ait, tunc ſecundum ſterilitatis annum agi. ergo ſeptem iam anni fertilitatis, & duo ſterilitatis fluxerant, ex quo anno erat triginta annorum. Porrò eodem anno pater eius deuectus in Ægyptum, dicit Pharaoni ſe agere annum ætatis centeſimum triceſimum, Gen. 47. Subducatur igitur de eius ætate, ætas Ioſephi quæ erat 39. ann. relinquentur 91. anni, quibus Ioſephum genitum ab eo neceſſe eſt. | | | | |
| Ioſeph à natiuitate ſua vſque ad annum ætatis ſuæ 110. quo mortuus eſt, ſecundum omnes editiones Gen. cap. vlt. eadem tempora ſignauit, id eſt, vſque ad annum mundi | 3675 | 2309 | 3545 | |

Hebręorum ſeruitus à morte Ioſeph, vſque ad exitum de Ægypto, annorum centum quadraginta quatuor eadem tempora ſignat, id eſt, vſque ad annum mundi

| ANNI MVNDI. Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 3819 | 2453 | 3689 | |

Hoc autem tempus ſeruitutis Hebręorum 144. annorum fuiſſe diſertè ſcriptura non affirmat, ſed cùm à teſtamento & repromiſſione Dei cum Abrahamo vſque ad mortem Ioſeph compleantur anni 286. vt ſupra demonſtratum eſt, populus autem exierit de Ægypto anno promiſſionis 430. conſequitur vt durarit hęc ſeruitus 144. ann. quæ anno. ſumma deſideratur ad complendum numerum 430. annorum.

Primo anno exitus de Ægypto lex Dei promulgatur in eremo in monte Sina.

Ab hoc loco vſque ad ædificationem templi ſub Salomone tertius Regum liber numerat ann. 480. quos ſeruare conabimur.

Moyſes ab exitu Iſraël de Ægypto quem ipſe eduxit, vixit & pręfuit populo 40. annis, ſecundum omnes editiones, Nume. 14. Pſalm. 94. Paul. Hebręor. cap. 3. quod etiam ex ætatis eius comparatione neceſſariò colligitur, Exod. 7. & Deuteronom. vlt. Ideoque ab illo exitu vſque ad mortem ſuam ea tempora ſignat, id eſt, vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 3859 | 2493 | 3729 | |

Hactenus ex Pentateucho Moſis omnis annorum numerus & ſumma neceſſariò demonſtrata eſt.

Particularis illorum 480. annorum numeratio & diſſectio à morte Moſis non probatur perpetuò diſertis ſcripturæ verbis, ſed partim ex lib. Iudicum, partim ex Iudęorum veterum traditionibus colligitur, quas Euſebius & Auguſtinus ſecuti ſunt.

Ieſus Naue à morte Moſis vſq; in diem mortis ſuę, pręfuit populo annis vigintiſeptē: ſeptem ſcilicet annis diuiſit terram, & alijs viginti annis bella geſſit. Quod ad ſeptem annos diuiſionis attinet, hi rectè probantur, cap. 14. Ieſu Naue. cęteri viginti anni non probantur diſertis ſcripturę verbis. hanc tamen computationem ſequuntur Clemens primo Stromat. Euſebius in Chronic. Auguſtinus libro 18. De ciuitate Dei, cap. 11. Iſidorus lib. 5. Etymologiarum, & Hugo Pariſienſis in Chronolog. Ioſephus libro 5. Antiquitatum, in Gręco ait eum pręfuiſſe vigintiquinque annis, ſicut & Zonaras Gręcus eum, vt probabile eſt, ſecutus, ſed Latina Ioſephi tralatio, vulgò Rufini credita, viginti ſex annos habet, vt & Beda libro De natura rerum. ſed puto & Latinam Ioſephi tralationem & Bedam eſſe mendoſum, cùm idem poſtea dicat Euſebium duos annos dediſſe Ieſu Naue amplius, quàm Ioſephus tribuerit, vt Elonis annos, quem ex auctoritate 70. interpretum expunxerat, alicundè ſarciret: nos Euſebium hoc loco ſequemur, vt pręfuerit Ieſus vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 3886 | 2520. | 3756 [a] | 3884 |

[a] lxx. interp. ſi ex Ioſepho cõtinuētur ann.

Mortuus eſt 100. annos natus. Ioſ. vlt.

Funccius verò ei 32. annos tribuit. nec cur id innouet, vllam rationem reddit, niſi quòd poſtea eos confundit cum 40. annis quibus in libro Iudi. quieuiſſe dicitur terra ſub Othoniel, qui iudex fuit per octo annos. itaque reliquos 32. annos tribuit Ioſue, ſed abſque iudicio & ratione, vt poſt oſtendam.

Poſt mortem Ieſu Naue filij Iſraël ſubiecti fuēre alienigenis annis 8. & tunc dedit Deus eis iudicem Othoniel, Iudic. 3. ſub hoc Othoniel terra eorum quieuit 40. annis. ita fiunt 48. anni. Sed Euſebius ex Hebręorum traditione ait illos 8. annos iungi debere 40. annis Othonielis, & eorum partem facere, vt illi 40. anni peruenerint vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 3926 | 2560 | 3796 | 3924 |

Clemens Alex. in 1. Stromate, & Nicephorus in Chronicis, ſeparatim ea tempora computant, ſed nos Euſebium ſequi maluimus.

Poſt mortem Othoniel Hebręi ſubiecti fuēre alienigenis ann. 18. & poſtea haberunt iudicem Aoth, qui iudicauit annis 80. Iudi. cap. 3. ſed ſecũdum Hebręorum traditiones, quas ſequitur Euſebius, illi 18. anni iunguntur his 80. annis, vt hi peruenerint vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4006 | 2640 | 3876 | 4004 |

Poſt mortem Aoth alienigenę vehementer opprimunt Iſraëlitas per viginti annos, Iudic. 4. qui anni ex eadem Iudęorum traditione quos ſequitur Euſebius, iunguntur annis Delboræ & Barach quos ſuſcitauit Deus, qui dicuntur iudicaſſe 40. annis, Iudic. 5. cap. id eſt, vſque ad annum mudi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4046 | 2680 | 3916 | 4044 |

Poſt mortem Delborę Hebręos tradidit Dominus in manu Madian ſeptem annis, Iudic. 6. poſt quos ſuſcitauit eis iudicem Gedeonem, ſed illi ſeptem anni quadraginta annis quibus Gedeon iudicaſſe dicitur, Iudic. cap. 8. iunguntur, corúmque partem faciunt ex eadem traditione, & perueniunt ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4086 | 2720 | 3956 | 4084 |

Poſt mortem Gedeonis regnat filius eius Abimelech 3. annis, Iudic. cap. 9. id eſt, vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4089 | 2723 | 3959 | 4087 |

Poſt mortem Abimelech iudicauit Iſraëlem Thola fratruelis Abimelech, annis 23. Iudic. cap. 10. id eſt, vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4112 | 2746 | 3982 | 4110 |

Iair deinde iudicauit per 22. ann. Iudic. cap. 10. id eſt vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4134 | 2768 | 4004 | 4132 |

Poſt mortem Iair Hebręos in ditionem redigunt Ammonitę ann. 18. Iud. cap. 10. qui tamen anni cum temporibus Iepte [a] & ſequentium iudicum computantur ſecundum traditionem ſupradictam. Nam poſt Iair, Iepte iudicauit annis ſex, Iudic. cap. 12. id eſt, vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4140 | 2774 | 4010 | 4138 |

## Bellvm Troianvm.

Poſt Iepte Iudex fuit Eſebon ſeptem annis, Iudic. cap. 12. id eſt, vſque ad annum mundi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4147 | 2778 | 4017 | 4145 |

Poſt Eſebon iudex fuit Ælon decem annis, Iudic. cap. 12. ſecundum Hebraicam editionem. ſed Euſebius ait hunc non haberi apud 70. interpretes, hodie autem habetur in vulgata editione Græca, additus nēpe ab Origene ſub aſteriſco, ſed Ioſephus eum cõputat.

Labdon deinde iudex fuit annis octo, vt dicitur Iudic. c. 12. id eſt, vſque ad annum mũdi

| Sec. 70. interpret. | Sec. Hebr. | Secũdum Orig. | Sec. Graec. edit. |
|---|---|---|---|
| 4155 | 2789 | 4025 | 4163 |

*Tertio anno Labdon iudicis Hebræorum Troia poſt decennale bellum capta eſt.*

## Troia capta.

Colligitur omne tempus à natiuitatis Abrahæ anno 1. qui erat annus Nini 43. Europis 2.
- Secundum Hebræos anni 835
- Secundum Aſſyrios anni 835
- Secundum Sicyonios anni 835

A quinto & triceſimo anno ætatis Moyſi, qui fuit primus annus Cecropis, primi Athenienſium regis, vſque ad captiuitatem Troiæ, & 23. annum Mneſthei Athenienſis regis, cuius meminit Homerus, anni 375

A captiuitate Troiæ vſque ad primam Olympiadem numerantur anni 406

*Latinis (qui pòſt Romani dicti) tertio, vel, vt alÿ volunt, oct. poſt Troiam captam anno, AEneas regnat annis tribus.*

Poſt Labdon

---

*Inachũ Argiuorũ regē his tēporibus regnaſſe tradũt Clemens, Tacianus, Ioſephus, & Africanus, quoſtamē nō ſequitur Euſebius. Item Porphyrius facit Inachũ Moſe poſteriorē plus quàm 150. an. quem nec ſequitur Euſebius.*

*A tēpore Moſis ætas hominũ cœpit eſſe centũ viginti annorum, totidē enim vixit Ioſeph. li. 1. c. 14. anno 3. regni Danai Argorum regis, moritur Moſes. Quod quidã tradũt à morte Moſis vſq; ad Samuelem eſſe 350. ann. & ex Act. Apoſt. c. 13. (vbi tamen Græci Latiniq; libri habent 450. quam lectionem temerè Lutherus & Funccius emēdandã putãt) perperam illũ locũ intelligunt, cùm ex Latina trãſlatione liqueat eos 450. annos à natiuitate Iſaac, vſque ad ſeptimum annum Ioſue eſſe computandos. ſiũt enim 447. anni, id eſt, ferè, 450. anni, vt ibi dicitur ὡς &c. [a] Iepte initio ſui principatus ait à Moſe, quo tēpore pugnare cœpit cum gentibus, vſq; ad ſua tempora computari annos 300. iudic. cap. 11. ex quo confirmatur Iudæorum traditio, qui annos breuiant, & cõfutatur eorũ cõputatio, qui integros ſigillatim computant, vt Clementis, Nicephori, &c.*

Poſt Labdon, Hebræos in ditionē redigunt alienigenæ annis 40. Iudic. 13. Sed hi 40. anni imputantur annis ſequentium Iudicum ex eadem traditione quam ſequitur Euſebius, hoc eſt, tam 20. annis quibus Sampſon præfuit, quàm annis illis quibus Heli iudex fuit, Iudic. cap. 5. Sampſon igitur viginti annis iudicauit, id eſt, vſque ad aunum mundi

| ANNI MVNDI. Sec. 70. inter. | Secundũ Hebr. | Secundũ Orig. | |
|---|---|---|---|
| 4175 | 2809 | 4045 | 4183 |

*Hucuſque ex libro Iudicum tempora demonſtrantur, ſequentia autem ex libris Regum.*

*Quidam dicunt Homerũ fuiſſe 10. anno Sampſonis. Quidam autem Homerũ fuiſſe circa ann. 8. Samuel. Diſſentientes de eius tēpore opiniones colligit hic Euſeb. Quidam Homerum credunt ſub Dauide vixiſſe. Euſebius.*

Poſt Sampſon, Heli ſacerdos iudex fuit annis 40. 1. Reg. cap. 4. ſecundum Hebraicam editionem, vt ait Euſebius, quam hîc ſequitur, non autem editionem ſeptuaginta interpretum, quam ait habere duntaxat viginti annos: tametſi Græca hodie impreſſa quadraginta annos habent. Ergo Heli præfuit vſque ad annum mundi.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 4215 | 2849 | 4085 | 4223 |

Heli ſucceſſit Samuel & Saul, qui præfuerunt vſque ad Dauid annis quadraginta, vt dicitur actor. cap. 13. Beda tamen ait tempus eorum diſertè non exprimi in ſcriptura: & ideo Ioſephum ſequendum, qui 32. annos duntaxat eis tribuit, & ideo iam in hunc annũ eius computatio in concordiam redit, i. vſque ad annum mundi

| | | | |
|---|---|---|---|
| 4255 | 2889 | 4125 | 4255 |

*Finis tertiæ ætatis vſque ad Dauid.*

## QVARTA AETAS.

Dauid primus ex tribu Iuda regnauit apud Hebræos annis 40. ſecundum omnes editiones, nempe ſeptem annis & ſex menſibus in Hebron, & 33. in Hieruſalem, 1. Paralip. c. 3. & 2. Reg. cap. 5. i. vſq; ad an. mundi

| | | | |
|---|---|---|---|
| 4295 | 2929 | 4165 | |

*Renouatur Dauidi promiſsio & teſtamentũ factum Abrahæ.*

Poſt mortem Dauid regnauit Salomon filius eius quatuor annis atq; tum cœpit ædificare templum Domini, quod annis ſeptem perfectum eſt, 1. Reg. 3. Euſebius legit VIII. ſecundum omnes editiones. 3. Reg. c. 6. i. vſque ad annum mundi

| | | | |
|---|---|---|---|
| 4299 | 2933 | 4169 | |

*Karthago condita. ſic colligit hoc loco Euſebius.*

Ab exitu Iſraelis ex Ægypto vſque in hunc annum, tertius regnorum liber cap. 6. colligit 480. annos, qui etiam ex particularibus annorum partitionibus à nobis poſitis ab illo anno, vſque ad præſentem annum rectè & exactè conficiuntur hoc modo:

Moſes poſt egreſſum de Ægypto, præfuit annis 40
Ieſus Naue annis 27.
Othoniel annis 40.
Aoth annis 80.
Delbora annis 40.
Gedeon annis 40.
Abimelech annis 3.
Thola annis 23.
Iair annis 22.
Iepte annis 6.
Eſebon 7.
[Elon] *
Labdon annis 8.
Sampſon annis 20.
Heli annis 40.
Samuel & Saul 40.
Dauid annis 40.
Salomon vſque ad inchoationem templi annis 4.
Summa omnium annorum ſupraſcriptorum 480.

* Omittitur in mera editione 70. interpretum, & ab Euſebio quoque in Chronicis canonibus, anni eius prætermittuntur. Hebraica autem editio tradit eum præfuiſſe annis decem.

Admonendi ſumus, omnes particulares computationes ſupraſcriptas diſertis verbis librorum Iudicum & regnorum comprobari, exceptis viginti ſeptem annis Ieſu Naue. verùm cùm cæteri numeri diſertè probati ſint, & ad complendam ſummam 480. annorum, quos tertius regnorum liber exigit, totidem anni deſiderentur: neceſſaria quoque illatione fiet, vt totidem anni Ieſu Naue tribui debeant, ſi puram ac meram editionem ſeptuaginta interpretum, quam habuit Euſebius teſte Hieronymo multis locis, ſequi malimus cum Euſebio, cuius ſanè auctoritas & magna in diſcernendis editionibus cautio & eruditio me valdè permouent. Si quis tamen ex Hebraica editione putauerit Elon ſuo loco ponēdum, cum decem annis quibus præfuit, nō repugnabo. ſed eo caſu ſeptemdecim duntaxat anni Ieſu Naue relinquentur ad præfatam ſummam 480. annorum. Equidem Ioſephi ſupraſcriptam computationem ſecutus eſſem libens cum Beda viro acerrimi iudicij, nam & Elon cum ſuis decem añis ponit, & Ieſu Naue 25. annos adſcribit. ſed quæ ratio Bedam impulit, vt eum ſequeretur, ea me contra reuocauit. Nam Ioſephus ttibuit Saul & Samuel 32. annos duntaxat: ac idcirco eum ſequendum dicit Beda, quia quot annis illi regnauerint, nuſquam in ſcriptura ſancta exprimatur. ſed id falſum eſt. nam Paulus Actor. cap. 13. tribuit Samueli & Sauli quadraginta annos, quo loco fortè permotus Euſebius totidem eis annos adſcripſit, tametſi locum Pauli non citet.

Hac igitur certiſſima computatione demonſtrata, quantum editionum patitur diuerſitas, ſi cui vacauerit cæteros chronographos euoluere, mira occurrent errorum portenta, & audax nouandi frons, neglecta veterum lectione, nec vlla eorum mentione facta. Primum enim Ioannes Funccius omnium qui noſtro tempore Chronologias ſcripſerunt, exactiſſimus, in hac tamen computatione multipliciter erraſſe deprehendetur. Falſo enim ait inter Iair & Iepte fuiſſe interregnum 18. annorum, quia id ſcriptura nuſquam prodit. quin illi 18. anni, perinde ad ſequentium Iudicũ tempora pertinent, vt anni quadraginta, qui inter Elon & Sampſon aſſignantur, ad ſequentes, Sampſon puta, & Heli. In ſumma hoc mihi concedi poſtulo, vt aut illi anni quibus populus oppreſſus fuiſſe dicitur, ſemper adſcribi debeant ſequentium Iudicum annis, aut nunquam. Si nunquam adſcribi debere dicetur, iam manifeſtus error conſequetur. vt pro 480. annis, quos ſcriptura colligit, ſexcenti ferè anni colligantur, vt ait Euſebius in præfatione Chronicorum canonum. in quem tamen errorem delapſi videntur Clemens Alexandrinus primo Stro-

